

# M E L I S S A



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32  
Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@infoboard.be  
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

*Melissa aestatem affert studiosam !*



Vergilius cum Musis (Tunet in museo Bardo)

... *Etsi vobis sunt feriae, non est causa cur numeros non exerceatis !*

☞ p. 2

... *Poeta Johannes Alexander Gaertner vita nuper functus est. Eius memoria celebratur*

☞ p. 5

... *Invasio quaedam fit in reticulum Internet. Quorum ? Homunculorum viridium ? Non : latinistarum !*

☞ p. 7

... *Cortoriaci in Flandria mox fiet expositio de Sidronia Hosschio (17 saec.)*

☞ p. 9

... *Suntne vobis feriae ? Tunc tempus habetis de philosophia cogitandi...*

☞ p. 12

... *Varii nuntii proponuntur*

☞ p. 14-15

... *Denique seminaria Latina: tempus est nominis dandi !*

☞ p. 16

# ROMANAЕ RATIONALEС LITTERAE

## UNDE SINT ORIUNDAE

EXPLICAT GAIUS LICOPPE

I	V	X	L	C	D	M
1	5	10	50	100	500	1000

**H**ae litterae rationales manifesto eadem sunt ac nonnullae litterae alphabeti Latini. Philologi tamen iam diu invenerunt signa L, C, D et M non esse formas primitivas horum numerorum; non enim reperiuntur ante primum saeculum a.C.n. Antea ad mille significandum Romani variis signis usi sunt, quorum forma originalis est  $\phi$ . Idem de  $\Theta$  quingentorum signo, cuius forma primitiva dimidia pars est superioris signi. Littera L, qua significatur quinquaginta, sine dubio deducitur ab archaico signo, quod est  $\downarrow$  vel  $\psi$ .

Signa numeralia, quibus Romani imprimis usi sunt, adhuc communiter putantur Graecam originem habere.

Constat scripturam Latinam de Etrusca derivatam esse. Ipsum alphabetum Etruscum originem trahit e quodam archaico alphabeto Graeco et probabiliter ex uno eorum, quae in Italia meridionali iam erant in usu ante Etruriae ortum.

Diversas formas graphicas comparando, multi specialistae inducti sunt ut putarent achaica signa Romana orta esse ex alphabeto Chalcidico, quo utebantur coloniae Graecae in Sicilia:

- KHI :  $\Psi$  vel  $\downarrow$  vel  $\nabla$
- THETA :  $\boxplus$  vel  $\oplus$  vel  $\ominus$  vel  $\text{G}$
- PHI :  $\phi$  vel  $\text{O}$  vel  $\text{O}$

Cum neque Etrisci neque Latini his Graecis litteris egerent ad linguam suam scribendam, putantur eas adhibuisse ad certos numeros significandos.

Haec theoria, a multis latinistis, hellenistis, epigraphistis et historicis adhuc firmiter accepta, videtur tamen esse infirma ad probandum. Cur enim tantum has tres extraneas litteras assumpsissent Romani in suum numerandi sistema? Praeterea, cur ad hunc usum elegissent litteras alphabeticas? Non sufficit respondere Hellenes ad numeros significandos litteras alphabeticas adhibuisse. Apud Hellenes certe duo

numerandi systemata fuerunt in usu, quae ambo ex litteris alphabeticis constabant, sed ut videtur haec systemata non ante medium primum millennium a.C.n. finixerunt, i.e. post Etruscorum signorum numeralium ortum. Insuper apud Hellenes littera  $\chi$  significabat 1000, non 50, littera  $\theta$  significabat 9, non 100, et littera  $\phi$  significabat 500, non 1000. Cur tantae differentiae? His interrogationibus inter specialistas nemo respondet.

Aliam hypothesis proponit Lucianus Gerschel<sup>1</sup>, quae videtur multo magis verisimilis esse. Nititur in inquisitionibus ad ipsam originem artis numerandi spectantibus. De quibus aliquid exponendum est, ut hypothesis fiat intelligibilis.

Fortasse, benevole lector, numquam expertus es quantam rerum quantitatem statim percipere posses ut non deberes numerare. Constat humanam facultatem cuiuslibet quantitatis statim percipiendae raro exceedere quattuor! Est lex psychologica fundamentalis. Si plus quam quattuor res nostris oculis occurront, earum numerum comprehendere nequimus nisi numerando, id quod automaticce celerrimeque facimus inconscii, si quidem numerus non est nimis magnus. Inde originem suspicari licet signorum Romanorum I, V et X, quae apud omnes doctos nunc habentur omnium vetustissima ipsoque alphabeto anteriora. Oriuntur, secundum Luciani Gerschel opinionem, ex vetustissima rusticorum consuetudine incisurae.

Temporibus neolithicis, cum homines agros colere pecoraque pascere coepissent, apparuit necessitas numerandi. Omnes primitiae numerandi methodi nituntur in comparatione rerum numerandarum cum rebus minoris magnitudinis, manu facile tractabilibus. Una ex his primitivis methodis, quae apud pastores usque ad nostra tempora vigere perrexit, est usus incisurae sive in osse sive in ligno<sup>2</sup>. Si quis pastor antiquus vel recentior rudisque pecus suum recensere cupit, sua naturali facultate utens vix plus quam quattuor pecudes agnoscere potest. Inde ei in mentem venit tot incisuras in quodam ligno facere, quot ei sunt pecudes; postea, singulas



pecudes cum singulis incisuris comparando, comperire potest utrum grex sit immutatus an mutatus.

De numero tamen pecudum nullam habet certam notitiam. Si enim multae incisurae in ligno factae sunt, eadem difficultas iterum oritur: quattuor tantum lineas una agnoscere potest. Hac de causa ingeniosus pastor, post quattuor simplices incisuras factas, quintam alia ratione facit ut eam statim distinguere possit. Tunc ex usu appareat hanc singularem incisuram non egere quattuor praecedentibus incisuris ad significandum quinque; sola enim, per se ipsa, significat quinque. Haec notio ei in mentem eo facilius venit, quod manus etiam quinque digitos habet. Si post hoc novum signum pastor noster incisuras in ligno facere pergit, quintae formam novi signi dare poterit, vel potius aliud novum signum fingere, quo significetur duplex quantitas, i.e. decem, instar ambarum manuum.

Crescente grege, iterum iterumque incisurae sunt addenda: ad quindecim notandum, quattuor adduntur incisurae et signum quo significatur quinque; ad viginti notandum, quattuor adduntur incisurae et signum quo significatur decem etc...

Qua ratione facile usque ad 49 numerare poterit. Sed ad quinquaginta significandum, si iterum ponet signum quo significatur decem, hoc signum quinques in ligno apparebit. Cum tantum quattuor signa eiusdem generis una agnosci possint, iterum ei appareat necessitas novi signi fingendi ad quinquaginta significandum.

Eodem modo usque ad 99 numeratur, sed, ad 100 significandum, quinque signa quibus significatur decem incidenda sunt post signum quo significatur quinquaginta. Itaque fingendum est novum signum quo significetur 100. Eadem ratione signa erunt fingenda ad 500 et 1000 etc significanda.

Systema hoc modo dilatari potest sine ulla similium signorum serie, quae excedat quattuor.

Perspecto systemate, restat ut in incisurarum formas inquiramus. Pastor cultro praeditus, quid in ligno perfacile incidere potest? Lineolas. Postea, si, ut supra vidimus, novo signo egebit necessario dissimili, lineolam sive latiorem sive ceteris altiore excidet. Multa nobis sunt exempla huius modi incisurarum, quae

### DE CORVO, QUI NUMERARE NESCIEBAT



Fuit aliquando corvus quidam, qui nidum suum collocaverat in turri cuiusdam castelli. Castellanus de hac re iratus statuit eum interficere. Iam complures conatus erat corvum prehendere, sed, quotienscumque turrim


intrabat, avis avolabat, se in vicinam arborem ponebat, denique in nidum revertebatur postquam castellanus discesserat. Tunc castellanus excogitavit strategema: duos homines in turrim introduxit; post paucas minutias alter exiit, alter remansit. Sed corvus hoc dolo non capiebatur, exspectabat dum alter etiam exiret, denique in nidum revertebatur. Postea castellanus tres homines in turrim introduxit, quorum duo exierunt; tertius redditum corvi frustra exspectavit: nam corvus maiore patientia fuit. Postea idem experti sunt quattuor homines: frustra! Tandem, quinque hominibus introductis, corvus captus est: nam quinque homines a quattuor distinguere non potuit...

mirum in modum paene eaedem sunt ubique terrarum apud diversas gentes, ut patet ex imagine subiuncta.

In his incisuris saepissime agnoscuntur signa I, V, Λ, X, +, quae persimilia esse videntur primitivis litteris rationalibus Etruscorum Romanorumque. Quas litteras originem trahere ex vetustissimo incisurarum usu est hypothesis, quam profert Lucianus Gerschel. Potestne certius comprobari?


Auctor argumenta affert. «Rationem putare cum aliquo» legitur e.g. apud Catonem (Agr. 5,3) et Ciceronem (Att. 4,11,1); est, inquit, vetus locutio, quae hoc modo explicari potest: in initiis inter res numerandas et incisuras erat «ratio»; praeterea prima significatio «putandi» est ligna caedere, incidere.

Franjo Skarpa in scripto suo de incisuris apud Dalmatas pastores inter alia hoc exemplum



# Melissa rationalis


exhibit:



Ibi apparet signum **X** ad centum significandum  
idem ac apud Etruscos:



Litterae rationales **Λ** et **X** quae in nummis  
Etruscis quinti saeculi a.C.n. inveniuntur



eaedem sunt ac Dalmatarum pastorum incisurae  
et eundem numerum significant.

Ad summam Etruscorum Romanorumque  
litterae rationales verisimiliter originem trahunt ex  
usu incisurae, qui iam diu ante eorum ortu vigebat  
in Italia.

Ex primitivis incisis signis quae sunt:

1	
5	/ \ ^ > V < X X
10	X X X + X
50	V V A VI
100	X X X X

Etrusci et Romani haec servaverunt:

Etrusci	Romani
1	1
5 ^	v 5
10 X	X 10
50 A	v 50
100 X	(X) 100

Apud Romanos signum primitivum quo  
significabatur 50 paulatim mutatum est:

v → ↓ → ↴ → ↵ → ↺ → ↻

ut in fine assimularetur litterae alphabeti L.

Signum **X** quo significatur 100, iam apud  
Etruscos factum est **C**; paulatim dimidiatum est  
in formam **D** vel **C**; quae forma assimulata est  
litterae alphabeti C, influxu verbi centum.

Serius apparent signa



ad mille designandum. Multae mutationes horum  
signorum inveniuntur, quarum ultima est  
assimulatio cum littera alphabeti M, influxu  
vocabuli mille.

Tandem dimidia pars unius ex formis signi  
1000, quae est **Φ**, designavit quingenta atque  
assimulata est litterae alphabeti D.

Post hanc dissertationem, benevole lector,

**MCMXCVI**

fortasse iam non scribes sine respectu non solum  
Romanorum, sed etiam nostrorum atavorum  
prehistoricorum!

## ADNOTATIONES

- 1 *La conquête du nombre*, in: Annales, Economies, Sociétés, Civilisations (1962, p. 691-714).
- 2 Franjo Skarpa, *Rabos u Dalmaciji*, in: Zbornik za Narodni Zivot i Obicaje juznih Slavena, Zagabriae, XXIX (1934) 2 p. 169-183.



# IN PIAM MEMORIAM

## IOH. ALEXANDRI GAERTNER POETAE LATINI (1912-1996)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

**H**uius anni exeunte mense Ianuario vita functum esse Iohannem Alexandrum Gaertner, poetam validissimum, magno cum dolore comperimus. Namque, cum ante hos annos, ni fallit memoria, viginti Camenam eius magni aestimare coepissemus, multis post annis complures ab ipso accepimus epistulas, quibus ille exposuit quomodo poemata orta essent, quare rhythmicos versus metricis praetulisset, quo pronuntiatu Latinitas sua esset proferenda, cur denique senex Musae Latinae valedixisset. Quibus ex epistulis cognoveramus virum vere humanum, vere affabilem, vere poeticum, eumque vehementi linguae Latinae amore affectum.

Natus est Gaertnerus Berolini die 26 m. Aprilis anno 1912; studiis incubuit theologiae et artis historiae in universitatibus Berolinensi et Heidelbergensi; anno 1936, cum esset inter doctores promotus, patriam effugit, ut apud Peruvianos degeret. Sullanae primum praceptoris privati munere est functus; mox Limam se contulit, ut esset bibliopolis quibusdam internationalibus alter a praeside. Anno autem 1941 uxorem duxit, quae filiam genuit nomine Barbaram. Altero vero confecto bello mundano Novum Eboracum in urbem Americae Septentrionalis migravit; deinceps anno 1948, cum esset a rectoribus collegii universitarii, cui nomen Lafayette College, professoris in munere constitutus, Eastoniae apud Pensilvanienses sedem fixit, qua in urbe annos circiter triginta artis historiam publice est professus. Anno 1977 rude est donatus. Versus Latinos inde ab anno circiter 1950 publici fecit iuris, quos duobus inclusit libellis, Lunenburgiae apud Vermontenses editis; qui inscribuntur *Vox Humana* (1954) et *Cantus firmus* (1966). Postea octo tantum carmina brevia luce publica digna existimavit. Nam neminem esse putabat, qui versus Latinos legeret.

Vates erat melancholicus et tristis, alias totus in morte cogitanda, alias in rerum vanitate exponenda. Verborum autem erat parcus, musica, quae verbis bene iunctis inest, admodum pollens. Audite:



*Media in vita<sup>1</sup>*

Breve ver, longinqua aestas.  
Indormuit diu tempestas  
nostrī amoris.

O cordis egestas,  
jam finis primae aetatis -  
finis et nostrae felicitatis.

### *Fatum<sup>2</sup>*

Inexorabilis  
deus te tenet,  
te dicit, te docet,  
te delet.

Quo ruis? Morare.  
Quid petis? Exspecta.  
Et noli clamare,  
vocaberis.

Valde et mihi placet, etsi non est triste, carmen  
c.t. *Processio conventualis*, quod temporis remoti  
tabellam quasi pictam ante oculos nobis ponit:

Praecedunt duae  
Matres Reverendae.

### Sequuntur

viginti parvulae  
pallidae puellae.  
Ducuntur ad matutinalem  
missam dominicalem.  
Progrediuntur  
duae et duae,  
manum in manu.  
Videntur  
dulces innocentes  
columbae blancae  
quae quam adultae  
mox evolvuntur  
cycni regales,

aquilae superbae,  
anseres perstultaes.

Subsequuntur  
subridentes  
aliae duae  
Matres Reverendae.

Hoc quotiens lego poematum, venit mihi in mentem mulierum sanctimonialium et grandaevarum, quae vestibus ornatae nigris et praelongis digne procedunt; quales hac aetate in Urbe Vaticana interdum conspiciuntur, ceterum e conspectu discesserunt. Itaque bene fecit Gaertnerus, vocabulorum mediaevalium (quae dicuntur) studiosus, quod et huic carmini verba inseruit medium aevum redolentia, unde pateret res depictas praeteritum referri ad tempus; cuius generis sunt *matutinalis*, *dominicalis*, *blancus*. His accedunt *matres reverendae*, quae vocabula salutationis propria sunt magis quam appellationis, necnon syntaxis aliquatenus libera (*duae et duae; quam adultae*). Notabile est etiam nomen *pallidum*: progrediuntur ergo multo mane puellae semisoporae, postquam e lectulis surgere coactae sunt. Sunt enim hoc ordine procedere coactae, imperitantibus monachabus: videtisne ut unum solum verbum activum his insit versibus, cetera vero passiva sint vel deponentia? Puellae rursus, pupae dociles, morigerae, innocentes quae nunc sunt evadent cycni regales et anseres stolidae; quae ergo ad unam omnes similes inter se nunc videntur, iugo monachali nondum excusso, diversae erunt innocentiamque ita amittent, ut mentitos colores, species ostentatas stolidamque superbiam prae se sint latura<sup>3</sup>. Scaena vero integra non est tam atra; apte siquidem subiunguntur verba haec: «subsequuntur/ subridentes/ aliae duae/ Matres Reverendae»; quibus versiculis canoris optime rotundatur carmen, dum levior fit et iocosior imago: rident enim monachae, surridemus et nos, dum legimus, quod, cum puellae respicere vetentur, monachae, quae agmen claudunt, impune garriunt.

Denique non laudare non possum Gaertneri *Canticulum*<sup>4</sup>, quod est suaviter triste:

Dormi, mi fili, dormi -  
sunt qui dicunt  
vitam beatam esse:  
dicunt, dicant, nesciunt.

Dormi, mi fili, dormi -  
veniet dies  
quo tibi erit  
larga, largissima quies.

Dormi, mi fili, dormi -  
aderit mox  
mihi, tum tibi  
ultima, optima nox.

Iam ultima et optima nox ea Gaertnero venit;  
quae utinam ei requiem et pacem ferat  
sempiternam.

## BIBLIOGRAPHIA

1. *Carmina Gaertneriana*:  
*Vox humana* (Lunenburgiae Vermontensium, 1954).  
*Cantus firmus* (ibid., 1966).  
- in *Vita Latina*: «Processio conventualis», num. 70 (1978), 48; «Finale», num. 80 (1980), 40; «Solitudo» et «Michael», num. 82 (1981), 42; «Amor ultimus», num. 84 (1981), 48.  
- in *Voce Latina*: «Saltatrix» et «Tristitia senis», 20 (1984), 207.  
- in *Rumore Vario*: «Canticum vernum», 8 (1985), num. 3-4, 44.

## 2. Commentationes selectae:

- J. IJsewijn-Jacobs, *Latijnse poëzie van de twintigste eeuw*, De bladen voor de poëzie (Lyrae Flandrorum, 1961), pp. 87-88.
- *Directory of American Scholars*. Eighth Edition, 1: *History* (Novi Eboraci et Londini, 1982), p. 253.
- D. Sacré, «Duo poemata Gaertneriana», *Vox Latina*, 20 (1984), 207-208.
- L. Devoldere, «Hedendaagse Neolatijnse poëzie. De afdaling van de Parnassus», *Streven*, 55 (1988), 515-532.

## ADNOTATIONES

- 1 *Cantus firmus*, p. XXII.
- 2 *Cantus firmus*, p. XXX.
- 3 Cfr. Gaertneri carmen c.t. *Puella Americana* (*Cantus firmus*, p. VIII): «Angelus mediocritatis,/ vivax, amabilis,/ bene nutrita glaciatis,/ perquam durabilis -/ alta est tua vox,/ tuba paululo potior,/ uxor eris ferox,/ mater ferocior./ Virgo tam solida,/ pulchra et stolida,/ inscia tu brevi reges/ fata virorum et leges!» Ceterum de adolescentibus eodem fere scripsit modo poeta: quam enim puritatem innocentiamve aliquatenus servant pueri et puellae, eam, dum adolescent, ponunt.

4 *Vox Humana*, p. XIII. ↗



# RETICULUM INTERNET FIT LATINUM

REFERUNT IOSEPHUS AMADIO ET VICTORIUS CIARROCCHI

*Latinistas dedecet instrumenta modernissima spernere, quae pertinent ad communicationem. Nam novi modi communicandi sparsis gregibus magno sunt emolumento. Nonnulli hoc iam intellexerunt, qui reticulum Internet invadunt resque Latinas in eo*

**I**osephus Amadio Melissae redactoribus S.P.D. Nuntio vobis gaudium magnum: habemus gregem electronicum! Immo greges habemus, quia plures sunt, sed unus est omnino Latinus.

Quid est autem «grex electronicus»?

Est res nova ac mira, quae vulgo dicitur «mailing list» vel «listserver». Agitur de indice hominum quorundam, quibus sunt eadem studia eaedem delectationes. Hi homines (et viri et mulieres, ut liquet) habent inter se epistulare electronicum commercium hoc modo: quaeque epistula ab aliquo missa ad totum gregem statim transmittitur, ita ut omnibus sodalibus respondere contradicere distinguere definire liceat.

Insunt hodie in «magno rete», quod dicitur, Internet permulti greges, inter quos hi quoque, quibus nomina sunt:

CLASSICS list (Classical Greek and Classical Latin)

LATIN-L list (Latin and NeoLatin discussions)

LATINE list (Grex Latine loquentium LATINE)

Primum indicem nondum inspexi. Secundum per integrum mensem Aprilem (et adhuc) participavi et diligenter inspexi. Tertium abhinc paucos dies novi subinde illum participans.

In secundo indice (LATIN-L) maxima pars sodalium (qui sunt magistri, professores vel investigatores academicci, studentes, studiosi nec non meri amatores linguae Latinae) Anglicę litteras exarat, sed non desunt, quamvis pauci, qui Latine respondent. Uno mense fere trecentae litterae transeunt, quarum duae centesimae partes Latine exaratae. Socii disputant plerumque de textibus scholasticis, de methodis docendi linguam Latinam, de «crucibus» interpretationis; poscunt auxilium; nuntiant res varias de Latinitate atque

proponunt. De his plures pluresque relationes nobis afferuntur.

*Josephus Amadio electronicum circulum Latinum iam participat atque vobis sine dubio etiam participaturis omnia facienda explicat.*

de rebus viciniis; scribunt iocose. Hodie in indice LATIN-L fere 750 sodales sunt relati, maxime ex America septentrionali.

In tertio indice (LATINE list) tantum 62 sodales in praesenti inveniuntur. Sed ipsis litterae mittendae sunt semper ac solum Latine exaratae.

Quomodo participare liceat hunc gregem Latinum? Res simplicissima omnibus iis, quibus sit, ut Melissae, theca epistularis electronica (email). Sufficit enim epistulam mittere ad

**LISTSERV@PLEARN.EDU.PL**

in qua nihil exstet nisi sententia, quae sequitur:


**SUBSCRIBE LATINE Praenomen Nomen**

Cito vobis LISTSERV mittet epistulam Anglice conscriptam, qua poscet confirmationem vestram, id est alteram epistulam, ubi nihil exstet nisi:

ok

Post haec accipietis a LISTSERV Anglicam epistulam confirmantem, una cum praecipuis indicis regulis. Subinde vobis perveniet nova epistula salutatoria, tandem Latina, a gregis moderatore, qui est Conradus (Konrad M.) Kokoszkiewicz, cuius inscriptio cursus electronici est haec: [conradus@plearn.edu.pl](mailto:conradus@plearn.edu.pl).

Mea sententia, magnum rete Internet, his aliisque modis, magnam occasionem praebet ad Latinitatem vivam promovendam augendam propagandam, maxime inter iuvenes totius orbis. Oportet ne Latinitatis vivae fautores hanc occasionem novam atque extraordinariam amittant!



*Nos quoque voluimus huic electronico circulo Latino subnotare. Ut verum confitear, non fuit res facilis, sed, adiuvantibus expertis amicis nostris Terentio Tunberg Josephoque Amadio, tamen fieri potuit.*

*Res nobis est nimis nova, quam ut quicquam narrandum habeamus. Proxima autem occasione de hac re sine dubio referemus. Usque adhuc a moderatore hanc epistulam accepimus:*

Grex Latine loquentium Te salutat!

SVBEEV. Grex Latinus convocatus est ad sermonem Latinum colendum atque adiuvandum in arte, quam Graeci epistolographiam vocant, nec

non ad opiniones disputandas de recente Latinitate et de novis verbis vocabulisque instituendis, ut lingua Latina ad res nostris temporibus quotidianas adhiberi posset. Et ad multa alia :)

Regulae:

1. Non licet disputare, nisi Latine. Quod profecto non attinet ad signaturas, quae ulla lingua conscribi possunt, et ad verba proverbiaque aliena (etiam Graeca), quae ab omnibus intelliguntur.

2. In dubio vide 1. :)

Spero fore, ut grex noster usui Tibi sit. QBFFFS.

Vale

Konrad M.Kokoszkiewicz  
conradus@plearn.edu.pl

\* \* \*

*Victorius Ciarrocchi unus est ex iis (adhuc rariss) qui occasionem Latinitatis reticulo propagandae amittere noluerunt. Nam praeconium edidit, quod nescio quot miliones hominum legere poterunt. Hanc paginam vobis subiungimus; ceterum eam invenietis hoc loco:  
<http://www.Internetforce.com/pesaro/latino>.*

Omnibus Latinitatis cultoribus Victorius Ciarrocchi Pisaurensis S.P.D.

Risum teneatis oportet, vos omnes qui haec verba Latina legitis. Cum enim abhinc multos annos sermonis Latini usus neglectus iaceat et perpauci homines - inter doctos quoque viros! - lingua Latina viva uti velint vel potius valeant, multis legentibus hic nuntius fortasse ridiculus videbitur.

Attamen puto aetate quoque nostra huius linguae usum aptissimum existimandum esse ad nuntios cuiusquemodi communicandos aut ad homines inter se sociandos. Eos praesertim dico homines, qui pro viribus contendunt ne Europensium unitatis favendae promissa irrita cadant. Ad hanc unitatem assequendam quid melius quam sermo Latinus, quippe qui non solum praestantiae subtilitatisque nihil amiserit, sed brevitate et perspicuitate inter multas emineat linguas? De Romanorum sermonis brevitate unum liceat exemplum afferre. Quae vis insit in verbis Anglicis «The right man in the right place», omnes fere intellegunt. Sed ea sententia Latine verti potest his tantum quattuor verbis: «Homo aptus apto loco». Dicendum est igitur simplici atque huius aetatis necessitatibus accommodato sermone Latino complures uti posse.

Praeterea nonnulli homines hodie computatris utuntur, quae in dandis accipiendo nuntiis magno sunt emolumento. His instrumentis usi, cur

inter se non scribunt, non interrogant, deque novis verbis Latine reddendis iudicium non ferunt omnes viri (magistri, discipuli, alii), quibus lingua Latina est cordi? Omnium Latinitatis cultorum animadversiones, quae non tantum iucundae, sed procul dubio utiles erunt, libenter legam, et huiusmodi colloquiorum - quamvis mihi exiguae sint ingenii vires - magno cum gaudio me participaturum esse spero.

Sed nunc facere non possum quin de adulescentium condicionibus mentem meam aperiam. Quamvis enim plerique in scholis magistri sermonem Latinum neglegant, et saepe eos non pudeat splendidam hanc linguam oblivione obruere, tamen adulescentes non raro inveniuntur qui hodie Graece et Latine se exerceant, quique non ignorent quod quantumque Latinitatis studia ad ingenia formanda ac rerum civilium vim spiritumque favendos valeant. Nolite ergo deterri, optimi iuvenes, sermone Latino, quo saltem ad vestram linguam melius altiusque noscendam utamini. Si verba Latina ad nostri temporis res condicionesque significandas deesse vobis videntur, non est causa cur huius linguae studium omittatis: eorum enim vocabulorum, quae difficilius Latine redduntur, non desunt optima lexica, quorum auxilio nostri sermonis copia augeri potest. Ad adulescentes denique instituendos, suadetur ut hi de fructibus, quos Latinitatis studium parit, certiores fiant, iidemque per litteras Latine scriptas, inter se communicent.

Omnes igitur Latinitatis amicos et fautores rogare, obsecrare, liberaliter invitare liceat, ut linguam Latinam foveant propagantque. Hoc omnibus votis expeto. Haec enim scripsi, Romani sermonis amore unice permotus et valde confitus instrumenta computatoria summae voluptati atque utilitati fore ad Latine communicandum. Latinam igitur oportet alere flammam. ☺



# SIDRONIUS HOSSCHIUS

POETA LATINUS (1596-1653) (I)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

**A**nte hos quadringentos annos Merckemii (vulgo Merkem) in agro Dixmudano natus est Sidronius de Hossche sive Hosschius Flandro-Belga, qui, postquam in Societatem Iesu est ingressus, praeclarus evasit poeta; etenim, cum anno 1653 Tungris e vita decessisset, carmina eius, quae facilitate Ovidiana plerumque insigniuntur et piis in Deum Virginemque Matrem affectibus, amplius tricies ex ordine typis sunt excusa vel in sermones varios conversa. Collecta autem Sidronii poemata anno 1656 primum in lucem protulit Jacobus Wallius Cortracenus (1599-1690), poeta haud spernendus, Societatis eiusdem sodalis. Civibus ergo Cortracenis, quorum in urbe Sidronius decem per annos et quod excurrit adolescentes et iuvenes Latine edocuisse et carmina composuisse inter optima habenda, ita placitum est, ut illustrato vitae curriculo et opusculis propalam collocatis, exiguo monumento magni viri honoraretur memoria; itaque horno mense Octobri in bibliotheca urbis eius Flandrica Hosschiana publice monstrabuntur. Qua data occasione nos quoque Hosschii carmina quaedam ab obliuione vindicabimus; interim subsidia quaedam biographica e situ et pulvere eruenda putavimus.

**1. Ex albo novitiorum provinciae Flandro-Belgicae Societatis Iesu (1616) [Cod. m.s., album novit. 1609-1618, p. 367; servatur Haverlae<sup>1</sup> in archivio Provinciae Flandro-Belgicae Soc. Iesu]**

Ego<sup>2</sup> Sidronius de hossche Merckensis, natus anno 1596 mensis Ianuarii 20. ex legitimo toro, patre Sidronio de hossche, matre Judoca kayaert, ambobus superstitibus, agriculturam excentibus, grammaticae et humanioribus litteris operam dedi Ipris per quinquennium apud Patres Societatis Iesu, philosophiae vero apud eosdem<sup>3</sup> per biennium, Reverendis Patribus Gualtero Paulo<sup>4</sup> et Petro Pennequin<sup>5</sup> praceptoribus. Admissus sum in Societatem Iesu a Reverendo Patre Carolo Scribanio<sup>6</sup>, eiusdem Societatis per Flandriam Provinciale, Ipris anno 1616 Octobris 1a. Veni ad Domum<sup>7</sup> Probationis die 20 eiusdem mensis et anni. Examinatus fui a Reverendo Patre Antonio

Sucquet<sup>8</sup>, rectore Domus Probationis, iuxta examen generale eiusdem Societatis, diplomata apostolica instituti, duas etiam constitutiones eiusdem instituti confirmatorias Gregorii XIII et Gregorii XIV. Constitutionesque observare desidero ac propono, et nominatim quae ad oboedientiam et animi promptitudinem ubique et in quavis re pertinent; item quae ad indifferentiam ad quemvis gradum Societatis et ad reddendam conscientiae rationem manifestationemque meorum defectuum spectant, contentusque sum ut res omnes quae in me notatae observataeque fuerint superioribus per quemvis qui eas extra confessionem acceperit manifestentur. Paratus quoque sum ad aliorum correctionem iuvare aliosque manifestare secundum praescriptum voluntatemque superiorum ad maiorem Dei gloriam, necnon ad omnia officia Societatis, quae a superioribus mihi iniungentur, me indifferentem offero, etiam ad litteras perpetuo docendas. Promitto quoque me relicturum bona omnia post elapsum ab hoc ingressu meo annum, prout mihi a superiore iniungetur. In quorum fidem haec mea manu subscripsi et subsignavi. Actum Mechliniae mensis ... die ...<sup>9</sup> anno 1616.  
Ita est. Sidronius de hossche

[margini adscripta haec sunt verba:] Examinatus fui et omnia approbavi 29° Decembris anno 1616. Examinatus fui et omnia approbavi 25° Junii anno 1617. Examinatus fui et omnia approbavi 5 Februarii 1618.

**2. Litterae Gerardi de Hooghe<sup>10</sup> S.I. ad Franciscum de Cleyn<sup>11</sup> S.I. datae (5-IX-1653) [servantur Bruxellis in Bibliotheca regia, cod. m.s. 6485, fol. 159r-v<sup>12</sup>]**

[f. 159r<sup>13</sup>] Reverende in Christo Pater, Pax Christi. Magno sane doloris sensu primum in hac domo<sup>14</sup> funus lugemus parentes filii. Exceptus quippe nobis est Reverendus Pater Sidronius de Hossche, qui huic domui iam abhinc anno et quod excurrit singulari prudentiae et amoris in suos commendatione praefuerat. Undecima Augusti dysenteria laborare graviter coepit, quam maligna febris et miserabilis singultus exceptit; dumque nos

illico Tongrensum medicorum arti iudicioque non satis confisi externa auxilia sollicite circumspeximus et Leodio, Traiecto, Lovanio quod humanae opis in praesenti periculo conquiri a nobis potuit accersivimus, evicit medicorum industriam geminatum et pertinax malum. Extremis omnibus sacramentis rite ad immortalem vitam ineundam comparatus excessit quarto Septembris paulo ante mediam noctem in corona Patrum et Fratrum, parva illa quidem, sed quae amore, pietate, lacrimis magnam aut aequaret aut vinceret. Vir erat religiosus, integer, in quo fucatum nihil, sincera omnia, amorem omnium meritus, cui id debet provincia nostra quod in illa stilus (unicus et optimus dicendi magister), qui aut non satis antea cognitus aut neglectus fuerat, ad Augustei saeculi puritatem et normam eius ingenio iudicioque efformatus sit. Sed praestantis et cordati viri elogium postea plenius perscribemus, in quod (uti spero) conferent aliquid, praeter alias, Rectores<sup>15</sup> qui optimi patris virtutes perspectas habent, et ii quos per annos tredecim ad aliquam poeseos et eloquentiae laudem extulit, qui non magis exempla virtutum quam bonarum artium praecepta observaverint. Hoc nunc dixisse sufficiat: quemadmodum in floribus et herbis utilis succus premendo tundendove exprimitur, ita in diurno difficile morbo praeclaros pietatis sensus, quos animo imbiberat, sese ad exemplum proddisse. Ne quid tamen non plane purgatum sit, dignabitur Reverentia Vestra ex more Societatis nostrae suffragia pro eo indicere meque sanctis suis sacrificiis Deo commendare. Tongris 5 Septembris 1653.

Reverentiae Vestrae servus in Christo  
Gerardus de Hooghe

[f. 159v:] Reverendo in Christo Patri Francisco de Cleyn Societatis Jesu Rectori Mechliniae.

Pro mortuo<sup>16</sup>

**3. Litterae annuae Provinciae Flandro-Belgicae (Societatis Jesu ad Patrem Generalem) anni M.DC.LIII [servantur Bruxellis in archivo regni Belgici, L 1448, pp. 5-6]<sup>17</sup>**

[p. 5] Plurimum damni, multum luctus in domo nostra Tungrensi ab superioris P. Sidronii de Hossche et P. Gerardi de Hooge obitu insperato, oppido tristi, domui peracerbo, quippe dimidio fere domus optatiorique sublato. Nihil Patre Gerardo de Hooge in spiritualibus adiutore lenius, nihil magis factum ad omnium commoda; non somnus, non mensa, non iucundus sermo ab aegris visendis, a praebendis auribus intempestiva cupiditate confiteri volentibus vel ad momentum temporis avertebat. Atqui hinc factum ut, quando nulla amoris concitatrix tam blanda existit quam

candida humanitas sui commodi negligens, benevolentia ex aliena sola utilitate apta atque suspensa, incredibili caritatis teneritudine devinctos obstrictosque sibi haberet totius oppidi animos, ut comploratione communi omnium fere istic ordinum elatus ad tumulum sit.

At P. Sidronius de Hossche, quattuor vota pridem professus, domus Tungrensis superiori egerat annum fere et dimidium. Vir ingenii mire candidi, aperti undique pectoris, quod fucatum nec in se ferri vellet, nec in ullo ferre posset. Atque hinc externis mire carus: candorem enim illustrabat prudentia, praecipua in Deum religio, accurata instituti observatio, communis ordinis exacta custodia. De litteratura politiori in hac potissimum provincia optime meritus est. Nam duodecim ipsos annos nostros illa perdiligenter excoluit, ad veterum exempla cum poetarum tum oratorum traductis adulescentiorum ingenis, unde cum Latini sermonis puritate nativum nescio quid, + aurei stilus Augusti Caesaris aetate, saeculi +<sup>18</sup>, in venas et sanguinem ducerent; quo in iuventutem Belgicam deinde transfuso reflorescere posset in Belgio litterarium decus. Nec ipse ab scribendo abstinuit manum; quantum in eo genere processisset et demonstrarunt quaedam typis edita mirificeque ubique expedita, commendata maximorum in litteraria laude virorum paeconiis, et cum veterum vatum<sup>19</sup>, quos pro diis fere habet et veneratur superstitione natio poetarum quidem comparata comparatione sane nec simulata ut appareat, nec eruditorum plurium sententia mendaci; tum vero demonstrabunt multo magis quantum in hac litteraria gloria huic viro Societas debeat quae propediem danda sunt luci, aeternitati scripta, aeternitate dignissima. Etenim praeter ceteras carminis cultissimi laudes id ubique tractatur argumentum quod a profanis / [p. 6] ad sacra animos delenitos poetica suavitate traducat. Et vero nescio cui hominum generi ea existimatio eripitur, quasi non molle inque amores diffluens carmen elegans esse non possit. Sribit enimvero, sribit animus qui rerum divinarum amore si flagrat, subicit ingenio faces; unde et in carmen ipsum veneribus, leporibus, gratis divinus quiddam redundat et virili animo ac christiano multo iucundius. At enim amore capti dulcis argumenti dilabimur.

**4. Annuae Literae Societatis Iesu, anni M.DC.LIII., Goswino Nickel<sup>20</sup> praeposito generali Societatem gubernante (Pragae, s.a.), p. 152<sup>21</sup>**

Tungrensibus erepti duo, alter P. Gerardus de Hooghe (...), alter P. Sidronius de Hossche, 4. vota professus, domus Tungrensis superior ingenii perspicacis, candidi et aperti, eoque fucum nec in

se nec in aliis ferre poteris. Prudentiam ornat ad omnes apices emendate circumspecta legum religio et non minus virtutis quam literaturae decus, cum nostris in politiore studio erudiendis per annos duodecim dicendi bene ac faciendi magistrum se praestantem praebuit. Ea quae typis excoluit non laudis minus habent a matura, suada et concinna styli Romani gratia quam desiderii post se relinquunt; certe imago sunt culti et divinorum pleni animi, ac religioso nectare ambrosiaque manantis ingenii.

**5. Censura operis P. Martini Bresseri de Conscientia<sup>22</sup> [servatur Romae in archivio Iesuitico, Censurae librorum, cod. m.s. 656, p. 210]**

[p. 210r] +

Reverendi Patris Martini Bresseri opus de conscientia perlegi luce et prelo, me quidem iudice, dignum, eo quod confessariis magno auxilio et bonis omnibus ingenti solatio futurum videatur, et multis dubiis perplexis animos feliciter et solide expeditur. Denique opus doctum mihi videtur et cum laude et commendatione Societatis edendum in lucem. Ita sentio salvo meliore iudicio Sidronius de Hossche.

[p. 210v] Reverendo admodum in Christo Patri Mutio Vitellesscio Societatis Jesu praeposito generali<sup>23</sup>. Censura libelli Patris Martini Bresseri de conscientia.

**ADNOTATIONES**

- 1 Vulgo Heverlee (in agro Lovaniensi). Pagellam hanc partim edidit H.P. Vanderspeeten, Vie de B. Berchmans de la Compagnie de Jésus (Lovanii, 1865), p. 461.
- 2 Praemisit alia manus: «obiit Tongris 1653».
- 3 In urbe Duaco.
- 4 Paul(I)us S.J., natus Hui anno 1587, denatus Duaci anno 1672; cfr. C. Sommervogel, Bibliothèque de la Compagnie de Jésus, VI (Bruxellis et Parisiis, 1895), 383-387.
- 5 Pennequinus S.J., natus Insulis anno 1588, denatus Montibus anno 1663; cfr. C. Sommervogel, o.c., 473-477.
- 6 Scribanus S.J., natus Bruxellis anno 1561, denatus Antverpiae anno 1629; an. 1613-1619 praepositus erat provinciae Flandro-Belgicae Societatis Iesu. Cfr. L. Brouwers, Carolus Scribani S.J. 1561-1629. Een groot man van de Contra-Reformatie in de Nederlanden

(Antverpiae, 1961).

- 7 Mechliniensem.
- 8 Sucquet S.J., natus Mechliniae anno 1574, denatus anno 1627, scripsit opus c.t. Via vitae aeternae (Antverpiae, 1620); cfr. C. Sommervogel, o.c., VII (1896), 1689-1692.
- 9 Deest mensis et dies. Scripta sunt omnia aliena manu praeter verba in margine addita et subscriptionem.
- 10 De Hooghe (Winocibergensis), natus anno 1612, denatus anno 1653 in residentia S.I. Tungrensi, cuius post mortuum Sidronium alter a superiore erat creatus; cfr. A. Poncelet, Nécrologie des Jésuites de la province Flandro-Belge (Wetteren, 1931).
- 11 De Cleyn S.J., natus Antverpiae anno 1608, denatus ibidem anno 1669; an. 1652-1656 rector erat domus S.I. Mechliniensis; cfr. C. Sommervogel, o.c., II (1891), 1240-1242.
- 12 = Necrologium sive encomium defunctorum Societatis Jesu provinciae Flandro-Belgicae ab anno Christi 1650 usque ad annum 1665, collectum et ordine annorum et dierum dispositum anno 1722, tomus IV.
- 13 Notavit alia manus: P. Sidronius d'hossche.
- 14 Tungrensi.
- 15 Rectores: Rectores varii *ante corr.*
- 16 Notavit alia manus: P. Sidronius de hossche 4 Sept 1653 Tongris
- 17 Scriba in describendis litteris incuriosus fuisse videtur; itaque textus hic illic claudicat.
- 18 Corruptus hic est textus. Lege «aurei stilum saeculi, Augusti Caesaris aetatis» vel nescio quid simile.
- 19 Sc. carminibus.
- 20 Nickel S.J., natus Goslariae anno 1584, denatus Romae anno 1664, inde ab anno 1652 generalem egit.
- 21 Has litteras (editas illas quidem at raras) denuo divulgandas censuimus. Usi sumus exemplari quod Antverpiae apud Patres S.I. servatur.
- 22 Bresserus S.J. (Boxtellanus), natus anno 1585, denatus Brugis anno 1635, scripsit opus c.t. De conscientia libri VI (Antverpiae, 1638). Librum prelo subiciendum anno 1635, ni omnia fallunt, Patris generalis iussu perpenderunt Hosschius, Robertus Viverius et Franciscus Van Hees, quorum censurae Romae etiamnunc servantur.
- 23 Vitellescius (Vitellesschi) S.J., natus Romae anno 1563, denatus ibidem anno 1645, inde ab anno 1615 generalem egit: cfr. L. Koch, Jesuiten-Lexikon. Die Gesellschaft Jesu einst und jetzt (Paderbornae, 1934 = Haverlae, 1962), 1822-1823. ↗

# DE SCIENTIA ANTIQUA

SCRIPSIT IOHANNES VAN KASTEEL

**Q**uis hodie philosophiae studet? Quis philosophorum sententias scrutatur? Quis sensum in eorum libris abstrusum invenire conatur? Praejudicatae opiniones innumerabiles et inveteratae plerosque homines impediunt ne legant neve intellegant ea quae Veteres scripserunt.

- Nonne illorum antiquorum sapientium, qui dicuntur, doctrinae nihil nisi principia scientiae modernae fuerunt? Num longe aliter potuerunt quam balbutiare elementa?

Novum dogma progressionis gloriose edictum est ab eis qui veteris scientiae ignarissimos se ostenderunt. Omnes fere homines *superstitiose* eis assentiuntur ne stulti et quasi retardati videantur.

Scientia vel *γνῶσις* antiqua (mirabile dictu) a Modernis incongruenter pro opinione vel fiducia habetur. Philosophi autem semper scientiam et opinionem, *γνῶσιν* et *δόξαν*, distinguunt. Ergo est ignorantium eas confundere.

Dicunt Veteres scientiam suam non solum perfectam, sed etiam firmam et solidam esse, ita ut nihil firmius et solidius in hoc mundo inveniri possit.

«Ridere licet, ait Julianus ille Romanorum imperator, si tamen scias te σαρδάνιον risurum esse, cum in aeternum γνώσεως vacuus factus sis.»<sup>1</sup>

Lectori candido proponimus ut infra examinetur quae sit illa scientia; tantumne elucubratio fuerit hominum certis methodis egentium an res stabilis. Qui vere scepticus est, oportet inspiciat ubi fraus sit et mendacium, imprimis autem ubi veritas. Qui non est, taceat et silentium servet sepulcrale.

Nobis optimum videtur sententias philosophorum verbis Tullianis tradere.

Animadvertisendum est scientiam antiquam non esse *democraticam*, sed *aristocraticam*, quippe quae *nobilis* nominatur. Eam optimi adipiscuntur soli, id est probatissimi. Hoc sine dubio sufficit ut multi eam condemnent et reiiciant: ipsi se iudicant.

«(Voluntas divina) iis solis consuluit quos bona

*ratione donavit, quos videmus si modo ulli sunt esse perpaucos. Non placet autem paucis a dis immortalibus esse consultum.» (Nat. III, 70)*

Certe philosophi omnino non curant a multitudine intellegi: sententiam suam celant et ad doctrinam suam saepe alludunt tantum. Ipse de se Cicero:

«Cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur.» (Nat. I, 6)

De philosophis generaliter:

«Illi morem fuisse occultandi sententiam suam nec eam cuiquam nisi qui secum ad senectutem usque vixissent aperire consuesse.» (Ac. fr. 21)

Ignari igitur non afuerunt quin

«bene dicta male interpretarentur» (Nat. III, 77)  
vel

«perverse philosophorum disputationem interpretarentur» (ib.)

Hoc minime significat eorum scientiam vanam et vacuam esse. Non scientia enim verborum, sed rerum est:

«Ea, quae ex me audistis, re experti probare possitis!» (Sen. 85)

«Non enim vocabulorum opificem sed rerum inquisitorem decet esse sapientem.» (Ac. fr. 19)

Res non est opinio; nisi firma et concreta, non est res. Gloria, exempli gratia, sensu philosophico non est *δόξα*:

«Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata.» (Tusc. III, 3)

Item honor vel honestas non est virtus animi plus minusve abstracta; est res ponderosa:

«(Honestas) certe omni pondere gravior habenda quam reliqua omnia.» (Off. III, 35)<sup>2</sup>

Virtus ipsa non imaginaria vel moralis vel solis laudibus digna ducenda est, sed res *maximi ponderis*:

«Illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat.» (Rep. VI, 8)

«Virtutis autem amplitudinem quasi in altera librae lance ponere (audebo). Terram, mihi crede, ea lanx et maria deprimet.» (Fin. V, 91-92)

Scientiam ea condicione nos vere possidere



dicere poterimus,

«si stabilem scientiam rerum tenebimus.» (Fin. I, 63)

Philosophi antiqui, ut supra exposuimus breviter, non erant *idealiste* neque e conjectura loquebantur; erant *materialiste* qui rem cognoscendam non solum aspiciebant sed manu tractabant, palpabant, tangebant. Epicurus, exempli gratia, definitur investigator

«qui res occultas et penitus abditas non modo videat animo sed etiam sic tractet ut manu.» (Nat. I, 49)

Panaetius,

«quae vix conjectura qualia sint possumus suspicari, sic adfirmat, ut oculis ea cernere videatur aut tractare plane manu.» (Rep. I, 15)

Generaliter optimus quisque

«tracta(t) contempla(tur)que res cognitione dignissimas.» (Off. I, 54)

Philosophus negat

«nullam rem esse cuiusquam nisi eius, qui tractare et uti sciat.» (Rep. I, 27)

Iterum ille Zeno Stoicus

«comprehensionem appellabat similem iis rebus quae manu prenderentur.» (Ac. I, 41)

Quod dicunt philosophi, se rem cognoscendam tractare manu, non figuraliter nec allegoricos intellegendum est.

«Philosophi, quamcumque rem habent in manibus, in eam quae conveniunt, congerunt omnia.» (Tusc. V, 18)

«Nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur.» (Nat. II, 152)

«Nec mihi soli (virtus) versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara et insignis.» (Am. 102)

Fortasse sunt qui querant quae sit illa res quam philosophi tenent. Re vera multis vocabulis apud scriptores significatur; unum tamen ex eis expressim dici meretur:

«Medicinam philosophia profitetur.» (Tusc. II, 43)

«Medicinam a philosophia peto.» (Ac. I, 11)

«A gravibus illis antiquis philosophis petenda medicina est.» (Tusc. III, 40)

Illa Vergiliana *panacea*<sup>3</sup> non solum animum, sed etiam corpus sanat ita ut philosophus in vitam aeternam intret

«integra mente certisque sensibus.» (Sen. 72)

Nam summum bonum

«cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.» (Fin. V, 40)

Ergo scopus philosophi est

«adeptum esse omnia e natura et animo et corpore et vita.» (Ac. I, 19)

Bene notandum est nullam scientiam, nullam philosophiam hodiernam talem rem, id est

integritatem totius hominis, promittere vel docere neque audere nec velle nec posse; eas semper felicitatem humanam in posterum differre. Dignum quoque animadvertisco modenos, quia ipsi veteres philosophos non intellexerint, eorum doctrinam inintelligibilem, impossibilem, falsam, sinistram iudicare. Si veriloquo utendum est, quia methodos traditionales obstinate contemnunt, ipsi potius idealistae, quidquid credunt, quam materialistae facti sunt.

Scientia antiqua, etsi materiam universalem docet, tamen a deis et peti et accipi solet, maxime a natura cui nomen Minerva:

«Sine medico medicinam dabit Minerva.» (Div. II, 123)

«Ista duce errari nullo pacto potest.» (Leg. I, 20)

«Haec ita sentimus natura duce, nulla ratione nullaque doctrina.» (Tusc. I, 30)

«In hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem tamquam deum sequimur eique paremus.» (Sen. 5)

«Nemo igitur vir magnus sine aliquo adflatu divino umquam fuit.» (Nat. II, 167)

\*

\* \*

Solum Ciceronem attulimus. Possumus adicere permultos scriptores antiquos plus minusve notos, sed plerumque superficialiter lectos: Homerum, Platonem, Porphyrium, Vergilium, scriptores Iudeos, cabalistas Christianos, alchemistas mediae aetatis et Renascentiae, et ceteros. Eos fere omnes neglegendo nonne occasionem maximam praetermittimus?

#### ADNOTATIONES

1 Iulianus, *Orationes*, VII, 222b.

2 Nota bene illam etymologiam Varronianam (*Lingua Latina*, V, 73): «*Honos ab onere*». Non dubitamus quin capilli etymologorum hodiernorum hoc legentium horrescant. Sed in hac re ἔτυμον, id est veritas, non ludus vocabulorum considerandus est. Ceterum in lingua Hebraica vocabulum *kavod* (honor, gloria) a *kaved* (ponderosus, gravis) derivatum esse etiam inter etymologos modernos constat. Si vocabula non sine ratione inventa sunt, ecce habemus rem meditatione dignissimam.

3 Vergilius, *Aeneis*, XII, 419: «*odoriferam panaceam*». Illa panacea ergo odore agnoscit potest. ☺

*In America!*

## NOVUS LATINITATIS VIVAE CULTORUM COETUS,

Terentio Tunberg litterarum Latinarum professore Lexintonensi auctore et instigante, in civitatibus Americae septentrionalis hac aestate condetur. Huius societatis sedes Lexingtoniae in civitate Kentuckia constituetur. Domui Latinae Bruxellensi haud dissimilis erit haec nova sodalitas Lexingtonensis, quae eo in primis proposito instituetur, ut non solum discipulis universitariis, sed etiam ludimagistris et Latinitatis amicis et amatoribus, qui non pauci in illa civitate et regionibus adjacentibus habitant, facultas iam sit una congregandi Latineque inter se colloquendi. Sodalium conventiculum initiale Lexingtoniae, in universitate studiorum Kentukiensi, mense Augusto, a septimo usque ad quartum decimum diem, habebitur. Huiusmodi conventicula aestiva annua vice celebratum iri valde speramus. Sodales praeterea per totum annum academicum Lexingtoniam statutis temporibus convenient sessions participaturi. Denique spes nobis est nostros sodales, cum in Europam venerint, circulis Latine loquentium Europaeis interesse posse, itemque Europaeis Latinitatis cultoribus in civitatibus Americae septentrionalis peregrinantibus praesto et ibi fore amicos quosdam Latinos. Qui plura de Societate Latina Lexingtonensi scire voluerint, ad Terentium Tunberg scribant oportebit, cuius est haec inscriptio cursualis:

Department of Classical Languages,  
1015 Patterson Office Tower,  
University of Kentucky,  
Lexington KY, U.S.A.

*In toto orbe terrarum!*

RADIOPHONIA FINNICA GENERALIS  
NUNTIOS LATINOS  
UNDIS BREVIBUS PER SATELLITEM  
EMITTERE PERGIT



(horae UT/GMT)	
EUROPA	ASIA
Sat. et Dom. die 10.53	Sat. die 10.53
Eutelsat II-F1	15235kHz/19m
558kHz/538m	13645kHz/22m
Sat. et Dom. die 18.53	Sat. et Dom. die 10.53, 18.53, 20.53
Eutelsat II-F1	Dom. die 02.23, 04.53
Astra 1B/WRN	AsiaSat 2
Sat. et Dom. die 20.53	
Eutelsat II-F1	
15440kHz/19m	AMERICA SEPTENTR.
9855kHz/31m	(UT/GMT = EDT + 4h)
963kHz/312m	Sat. die 10.53
558kHz/538m	Dom. die 02.23, 10.53
Dom. die 02.23, 04.53	Galaxy 5/YLE audio WRN 2
Eutelsat II-F1	Dom. die 01.23
558kHz/538m	Galaxy 5/YLE audio WRN 1
	Sat. et Dom. die 11.53
	15400kHz/19m
	11900kHz/25m
AFRICA	
Sat. et Dom. die 10.53, 18.53, 20.53	
Dom. die 02.23, 04.53	
Eutelsat II-F1	
Intelsat 702	



*In Belgica institutio videtur peius peiusque se habere. De hoc periculo amicus noster Robertus Deprez epistulam misit ad Secretarium generalem institutionis catholicae; eam hic partim divulgamus, ut videatis quid inventuti nostrae infeliciter exspectandum sit.*

Robertus Deprez M.D. Domino Stephano Florkin Secretario generali institutionis catholicae s.p.d.

A quibusdam amicis magistris certior nuper factus sum, te consilium scholae mutandae concepisse, ut tempus institutionis ad triginta horas pro unaquaque hebdomada minueretur, ita ut necessario nonnullis disciplinis descendis spatium non relinqueretur. Si bene intellexi - nam medicus sum, non magister, et in rebus didascalicis parum versor - discipulis iam non licebit simul scientiis naturalibus, linguis modernis veteribusque studere. Ergo periculum est ne multi eorum, disciplinas eligentes quae illis utiliores videntur, a linguis antiquis aliisque humanis studiis secedant. Praeterea, cum horae e.g. linguae Latinae pauciores futurae sint, (quae iam paucae sunt), lectiones quae supererunt ossa doctrinae potius quam doctrina ipsa vocabuntur, neque primo quidem scholae mediae anno ossa manebunt. Quod adhuc peius videtur, nemo iam poterit ambas linguas classicas, Latinam Graecamque, discere: cursus studiorum Graecolatinorum omnino evanescet. Haec mihi narraverunt amici, qui eo magis mirabantur atque stomachabantur quod tu ipse in philologia classica eruditus es. (...)

Dum insani defectores ad domum Romanam



*Duo libri Latini:*

**M. Tulli Ciceronis De optimo genere oratorum, edidit Remus GIOMINI, Academia Latinitati Fovendae, Bibliotheca scriptorum Latinorum, Romae, Herder, 1995.**

Ecce editio scientifica talis, quales legere soletis, cum apparatu critico, conspectu codicum, librorum, rhetorum, editionum indicibusque variis, hac tamen iucunda differentia, quod haec editio est tota Latine facta. In eadem librorum serie iam edita sunt T. SACRE *De poesi Latina parte saeculi XVI posteriore Mediolani exculta prolusio. Accedit Ioannis Baptistae Vicecomitis de Iesu Christo poema nunc primum editum*; M. VERWEIJ Vladeracci tres, pater et filii, poetae Latini Silvaeducenses (saec. XVI ex.); R. GIOMINI Iulii Severiani Praecepta artis rhetoricae.

**Kalevala Latina, carmen epicum nationis Finnorum in Latinum versum a Thoma Pekkanen, Helsinki, Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, secunda editio 1996.**

Certe non est in toto orbe terrarum ullus latinista, qui nesciat Thomam Pekkanen ante decem fere annos Kalevalae 22.795 versus in Latinum vertisse. Quae notissima versio Latina facta est quasi Finnorum carmen Europaeum. Si vobis nondum est, secunda editio praebet occasionem emendi!



*Erratum:*

In Melissa 71 pag. 9: - adn. 3: legas vera, non vero

- IV, 3: legas potius odor, non odorem

(Th. S.)

destruendam cives provocant, alii homines domum illam reparare, roborare, immo novis ornamentis praeditam in pristinum statum restituere acribus viribus conantur. Circuli Latini florescunt, seminaria Latinitatis vivae ubique habentur, commentarii librique Latini eduntur, statio radiophonica Finnica generalis nuntios Latinos transmittit. Sed, eheu, omnia illa extra scholam fiunt ac plerique magistri ea ignorare malunt. Sic magna opportunitas perit. Lingua igitur Latina disciplina fit tantum scholastica, ad mentem syntheticam discipulorum conformandam et ad linguam patriam vulgarem melius cognoscendam. Paene crederes Vergilium Aeneidem composuisse ut magistri hodierni discipulos suos artem ratiocinandi fontesque linguae Francogallicae docerent! (...)

Ceterum multae aliae disciplinae necessariae sunt ad adulescentes educandos: mathematica, informatica, scientiae naturales, artes, linguae modernae... equidem hoc non negabo, qui scientiis naturalibus studui et fere cottidie lingua Anglicula utor! Sed discipline variae omnes utiles sunt, ac se invicem confirmant: exempli gratia, qui in linguis veteribus versabitur, facilius linguas modernas disset. Ergo numerus horarum non est minuendus, sed augendus!



# LATINE LOQUI ...

## SEMINARIA SOCIETATIS LATINAЕ

### **Helencinii (Hélécine) in Belgica a die 12 in diem 19 mensis Augusti a. 1996**

Seminarium Belgicum fiet in pulcherrimo aedificio quod olim fuit abbatia Praemonstratensium, XVIII saeculo exstructo, quod etiam habet viridarium amoenissimum.

Scribatis ad: Gaium Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B-1040 Bruxelles

### **Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 28 mensis Iulii in diem 3 mensis Augusti a. 1996**

supra lacum «Quattuor regionum»

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM  
Universität - FR 6.3  
D-66041 Saarbrücken

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

## SEMINARIUM BRUNENSE ALTERUM

### **Brunae (v. Brno) in republica Bohemica a die 15 in diem 22 mensis Iulii a. 1996**

Apparatum ab associatione L.V.P.A. una cum Instituto Studiorum Classicorum Universitatis Brunensis. Argumentum praecipuum erit: «redivivae aetates Latinae»: Latinitas viva quem fructum capere possit ex Latinitate, quae aetate litterarum renascentium culta est.

Scribatis ad: Ingam Pessarra-Grimm sive ad: Marium Alexa  
Nordstrasse, 39 Burgstrasse, 3  
D-59174 Kamen D-59368 Werne

## SEPTIMANA LATINA AMOENEBURGENSIS

### **Amoeneburgi (apud Marburgum) in Germania a die 11 in diem 17 mensis Augusti a. 1996**

«Latine loqui - Romane coquere»

Scribatis ad: Thomam Gölzhäuser  
Kleeberger Strasse, 40  
D-35510 Butzbach

## FERIAE LATINAЕ

### **Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 18 in diem 25 mensis Augusti a. 1996**

Scribatis ad: Clementem Desessard  
Résidence des Collines, C9  
500, rue Léo Brun  
F-06210 Mandelieu

### **Tiniis (Tainach) in Carinthia a die 13 in diem 20 mensis Iulii a. 1996**

Scribatis ad: Felicem W. Kucher  
Kath. Bildungsheim SODALITAS  
A-9121 Tainach/Tinje

Feriae Latinae sunt a Dre Suitberto Siedl institutae. Moderatores eas fieri volunt «Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo...»